



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

Quod sanctum nascetur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

At vero de Christo omnino aliter loquitur Angelus, ideo enim filium altissimi vocat, quia de Spiritu sancto concipietur.

Omnes ceteri, et filii Dei sint, dicuntur iratamen filii altissimi, ut suos habeant in terra Patres.

Vim habet ille locus ex altera S. Pauli ex Psalmo.

2.7. Hebr. 1.5. Cui aliquando Angelorum dixit, *Filius meus es?* Ita Angelus Filium Dei appellat, ut David, & Paulus: illi vero Filium Dei sic nominant, non ut sit ministrus, sed Dominus.

§. 1. Occurrunt tamen Ariani: item Seruetus. Vocabitur, non ergo tum erat, sed futurus erat. Non ergo Deus est, quia aliquando non erat.

Respondeo. Qui Deus erat tantum, cum homo factus est, tum vocatus est Filius Dei. Itaque Angelus de homine loquitur, qui Deus ante conceptionem non erat, nec homo. In carne manifestandus est Deus, qui aeternus est.

VERSUS 34.

*Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.*

QUESTIO I.

*An dubitavit B. Virgo?*

§. 1. **H**esitationem in ea Chrysol. hom. 47. in Gen. Nyss. in orat. de B. Virg. arbitrantur, sed quam prudentia, non culpae deponent.

§. 2. In Beata Virgine omnia illa fuerunt, Fides, admiratio, dubitatio. Fides quidem; Elisabeth enim ref. 45. eam collaudat, *Beata qua credidisti*. Itaque & posse Deam, & velle credidit. Neque enim dicendum est, eam adeo divinae omnipotentiae fuisse inciam, ut non crederet Deum, qui ex limo protoplastes format, eandem posse ex Virginis sanguine formare hominem.

Admirata autem est, sibi tanta deferri, cum vilem se estimaret. Mirata est modum, totamque regni rationem, cum audiret regnum CHRISTI in filii sui descendi.

Dubitavit vero non de potentia aut voluntate promittentis, sed de ratione & modo, quo promissa Deus erat effecturus. Cum enim audit conceptum & partum; non dubitat, concepturam se, & parituram; sed dubitat, quomodo conceptura sit, cum virum non cognoscat. Non est igitur causa cur aliquid dubitasse eam dicamus, quam quod quaerit. Quae ratio proposita, dubitationis modum ostendit. Sic Nicodemus de regeneratione Christum audiens, non an futura sint, quaerit, sed quomodo possint fieri? Sancta illa mater septem martyrum 2. Macc. 7. vers. 22. non dubitat, filiorum membra in utero esse formata, & compacta, quomodo tamen id factum esse scire se proficitur.

Cum igitur Mariam Angelus non reprehendat, ut Zachariam incredulum, & eam Elisabeth, iam plena Spiritu, beatam pronunciet, quia credidit: cum eius interrogatio de modo conceptus duntaxat institueretur, cum eum Angelus explicet, ostendatque integra atque illibata virginitate futurum, non oportet nos prava suspitione peccata illi imputare, quae nulla fecerit.

§. 3. Detestanda igitur Calvini blasphemia. Videtur sancta Virgo non minus magne restringere Dei potentiam, quam prius Zacharias. Quod enim praeter communem naturam ordinem esse impossibile esse colligit.

Si enim hoc fecit, iam non sancta, sed Dei omnipotenti Adams Con- en in Euang. Tom. II.

tentia inficiatix perfida. Itaque Ambrosius, Cyrillus Cateches. 12. Augustinus homil. 44. de temp. Theophylactus, Beda, admirantis esse censent. Cum sciret religionem voti sibi servandam mirata est, & dubitavit, ut illi putent, de tam ingenti promissione. Nec enim Virginis secundae exemplum norat.

§. 4. Cum verbum cognosco de praesenti & praeterito tempore intelligi non possit, alio modo interpretari oportet. Nec enim dicit se vel ante, vel nunc non cognovisse vel cognoscere, hoc enim ad Angeli legationem nihil pertinebat. Respondere enim poterat, Tum cognosces, quando concipies. Ad hoc ergo Maria quaestionem proponit. Tu ais: Concipies. At ego virum nunquam cognoscam: quia voto virginitatis obstricta, religione ab usu coniugii impediatur.

Nisi enim votum castitatis obstruxisset, non poterat videri vllum impedimentum conceptionis. Nubilis erat, nupta erat, fecunda erat, aut sane de infecunditate nihil constabat. Nulla lege ne virum cognosceret, vetabatur. Cum igitur ait, *virum non cognosco*; significat id sibi ex voto licitum non esse, & Angelo quasi voti gnato loquitur.

An ante an post coniugium votum fecerit Theologi disputant. Nyssenus ait, Deo ab infantia cum voto castitatis consecratam. Maldonatus mavult ante coniugium, nunquam enim corpus periculo corruptionis exposuit. Verum in Math. de hac quaestione disputatum est.

Constat enim ex S. Augustino, coniugium esse posse, non misso, ut ille loquitur, corporis sexu, sed mentis affectu.

QUESTIO II.

*Quid superuenire Spiritum sanctum?*

§. 1. **I**n Neo verfatür Angelus, ut violandae castitatis imetum demat castissima virgini. Itaque monere complexum viti suspicetur. *Superuenturum* (ἐπιλευσεται) Spiritum sanctum, de caelo desuper, eumque sanctissime, puritate divina, factum formatum, vivificaturum; signata sanctificata, non lasa virginitate: *superuenire*, dicitur aliunde, non enim ex natura operatione conceptus futurus erat.

QUESTIO III.

*Quod sanctum nascetur?*

§. 1. **T**ο γεννωμενον quod gignitur, seu nascitur, non natiuitas, sed conceptus significatur. Ita vocat Christum Deum hominem, qui natus dicitur secundum humanitatem.

Ex ite, in Graecis ferè absunt illa verba. Irenaeus lib. 5. cap. 1. Euthymius, Theophylactus omitunt. Apud Irenaeum tamen lib. 3. cap. 23. paulo aliter. Verba sic iungenda sunt, *Sanctum* quod ex te nascetur, vocabitur filius Dei.

Sanctum Maldonatus aduerbialiter dici, ex Leone ferm. 1. de natiuitate. Alii melius sanctum vocant ipsum CHRISTVM, qui, quia Deus est, ex se sanctus est.

§. 2. Hoc, hoc loco Nestoriana haereticus refutatur. Hoc enim sanctum, quod ex Virgine nascitur, est filius Dei, non alius, qui ex Virgine natus, nec duae, sed una est persona.

Nec responso valet, cum alunt, erit filius Dei, quia non ex viro, sed de Spiritu sancto nascetur: quod verum esset etiam si Deus non esset, si enim Deus in viro Virginis formaret hominem, qui nasceretur, singulari modo filius Dei esset, ut fuit Adam.

Respondeo. Causam autem reddit angelus, cur sit vocatus filius Dei, quia *supereminet Spiritus sanctus*. At quia contra Nestorium agit: firmum est argumentum. Ille enim Christum Dei filium Deum fatebatur. At ille idem sic nascitur, Filius Dei igitur nascitur. Eodem argumento Anabaptistae alique refutantur.

QVÆSTIO IV.

Quæ virtus altissimi & obumbratio?

Obumbratio virtus Christi. §. 1. Christus. nam virtutem altissimi obumbrationem sacri corporis factam esse rectè dici potest. nam Christus vt virtus Dei Patris, & Virginem ipse obumbravit, texit, ac protexit. Chrysoptom. hom. 49. Gregorius l. 18. Moral. c. 12. Quamuis enim totius sanctissimæ Trinitatis commune hoc opus; filius tamen hoc ipso quod de virgine natus est, eam obumbravit.

Et Spiritus sanctus. §. 2. Nec minus virtus illa dicitur Spiritus sanctus, vt sit emphatica repetitio prioris sententiæ vt Euthym. & Maldonatus; nam effectio incarnationis est totius Trinitatis, sed tamen peculiariter Spiritui sancto attribuitur.

Obumbratio prophetis. §. 3. Adumbratio seu *Ἰστορία* imprimis est desensio cum aliqua refocillatione. Psalm. 16. vers. 8. & 56. vers. 2. Isa. 30. vers. 2. Præstitit Virgini refrigerium menti corporique, vt Greg. cap. 33. moralium. Alio etiam modo Theophylactus interpretatur *Ἰστορίαν* esse *σημαία φέρειν*, quod lineamenta formauerit. quod huc non pertinet.

Quomodo obumbratio. Obumbravit ergo Virginem Spiritus sanctus singularissimè tuendo, recreando, fouendo. Nec hoc tantum, sed etiam honorando, & Deo consecrando.

Gloria igitur eam coronabat, qua in significatione vmbandi verbum Latini vsurpant, Statius 6. Thebaid.

Nuper Olympiacis vmbatus temporarum. Et Claudianus Paneg. in Olibrium. *Flaua cruentarum pratenditur vmbra iubarum.* Honoris ergo est etiam & à virtute altissimi obumbrati.

QVÆSTIO V.

An omnia possit?

Omnia Deus facere potest, quæ fieri possunt. §. 1. Augustinus cap. 5. de ciuitate cap. 10. & libro 26. cap. 5. contra Faustum omnia posse præter ea quæ posse non est potentia, sed impotentia; quæque si posset, non esset omnipotens, ita Genes. 17. v. 33. Sapient. 15. Potentia enim Dei omnia comprehendit, quæ fieri non r. pugnant. *πάντα θεός δύναται καὶ μὴ ἀδύνατα, omnia Deus potest quæ non impossibilia.*

§. 2. Omnipotentia Dei duplici modo considerari potest; est enim natura sua infinita: etiam in qualibet re efficienda, eaque potentia vititur. Nam vt causa prima sine vlla dependentia operetur. Totam igitur operandi perfectionem in se continet. In creatione manifestus est; nam ad rem minimam creandam opus est infinita potentia, vt acutissimus noster Soarez demonstrat disputat. 20. Metaphysic. Altera omnipotentia consideratio qua respicit obiectum. cum ex priore probatur esse infinita. Cum enim in se & essentia sua, infinita sit omnino, non potest aliquid fingi possibile, quod non peream fieri queat. Quia enim huic in modum efficax est, & operatrix, necessario igitur obiectum habet aliquid quod ab ea effici potest. Illud vero obiectum non potest vnum aliquid certi generis esse; sed omne id quod fieri po-

test. Si enim vnum aut certo numero magnitudinè ue comprehendi posset; non omnia, nam in Deo non omnis sed certa mensura haberetur perfectio.

§. 2. Potuit autem facere quæ non fecit, vt docet D. 1. p. quæstio. 25. a. 5. Thomas Wald. doctrinalium libr. 1. cap. 10. contra Wicleffum, & Abailardum, qui etiam Concil. Constantinensi damnati sunt. Errorem tamen retexit Caluinus, aliique. Quos contra vide Augustinum libr. 13. cap. 18. de Trinitate de Spiritu & litera capit. 1. Gregorius libr. 22. Moralium capit. 25. Qui negant Deum aliud potuisse, quam fecerit. Quod falsum esse Christus docuit: cum dixit multa potuisse fieri, quæ facta non sunt. De Tyris, Sidoniis, Sodomitis.

QVÆSTIO VI.

Cur profecta & infans exultauit?

§. 1. Ambrosius causam reddit. *Vbi audiuit hoc Maria; non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo: sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit.* Constat autem à Galilea sacis distare montes Iudææ vt maior charitas appareat longius iter suscepientis. Venientem non modo Elisabeth, sed præcipuè Ioannes Baptista quasi prædicare gestiens excepit. Ciuitas non vocatur Orisa, vt putat Euthymius. Hugo Card. Ekkius de visit. Chlicæoues fuisse Ierusalem. Abul. 2. Genes. quæstio. 22. octo Leucas abesse. Gagn. 4. m. ll. Beda c. g. de Ibcis sanctis, 22. miliaribus, Brochardus 9. Leucas à Nazareth.

§. 2. *Ἐκπρᾶξις* est animalium, & homilium gaudio, vel læscia salientium; neque enim tantum est bestiarum, cum *σαίρειται* & *ἐκπρᾶξις* de saltatione dicitur, Dard. Iliad. 6. *μολπῆν ἢ ἰσχυρῶς ἢ ποτὶ σαίροντες ἐπὶ πρῶτον.* Cantu, quæ & iubilo pedibus saltantes sequebantur.

§. 3. Motus ille præter naturam fuit, vt August. aliique. Elisabeth enim Spiritu sancto pronunciat in gaudio exultasse infantem, qua re ipsa quoque prophetauit, infantis cogitationes non ignorans.

§. 4. An cum fide & cogitatione, res controneta est. Augustin. Ep. 57. ad Dard. Euch. quæstio. 3. in Lucam negant. Iacob enim & Esau sic collidebantur, nec ratione utebantur. Deinde Ioanni, si data ratio est, postea non videtur ablata.

Contra tamen cæteri sentiunt: Ioannem ratione præditum, gaudio exultasse, mox audiri à salutatione. Orig. hom. 10. in Luc. Iren. lib. 3. 18. Cyrill. Cat. ch. 23. 3. Ambros. lib. 4. de fide cap. 4. Hier. aduer. Lucifer. Chrysof. homil. de Baptista. Theophylact. Euthym. Ratio eorum firma est. Si enim in vtero matris est Spiritu sancto repletus non est mirum eum dona sua cognouisse. non enim tantum accepit, sed est repletus, deinde in gaudio exultauit; quod de gaudio matris non rectè intelligitur; gaudium vero est, boni cognitum, sicut & amor.

QVÆSTIO VII.

Cur matrem Domini sui vocat?

§. 1. Vt ostendat filium eius esse Deum. Ab solute enim Dominum suum vocat; quod alio modo intelligi non potest. Vt matrem Domini contra Nestorium dicat. qui matrem hominis, non Dei dixit. Cum vero beatam vocat defendit eam contra hæreticos; qui eam non credidisse aui sunt asserere. Græcus textus in tertia persona habet *ματῆρα τοῦ υἱοῦ*, & *αὐτῆς* pro *αὐτῶν*. Sensus idem efficitur quæcunque

ADAMI  
+ Euan  
CY